



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 67. Scoti pro Canonisatione Margaritæ Reginæ Pontifici supplices.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

§. LXVII.

Sæcul. XV.
A.C. 1487.

*Scoti pro canonizatione Margaritæ
Reginæ Pontifici supplices.*

Ineunte hoc anno Jacobus III. Scotiæ Rex ab Innocentio Papa efflagitabat, ut Sanctorum albo adscriberet Margaritam. Ea erat Edmundi II. Regis Angliæ Neptis, necnon filia Eduardi primi, qui secundo genitus Filius erat Edmundi & Agathæ, quam Conradi Salici Imperatoris aut filiam aut Neptem extitisse, nonnullorum opinio fert. Ceterum Margarita sanctitatis fama illustris extremum diem clausit Mense Novembri Anno salutis millesimo nonagesimo tertio. Quarto ante illius obitum die ejusdem Maritus Macolmus Scotiæ Rex mortuus est; hic enim, cum adversus Robertum Northumbriæ Comitem bellum gereret, occubuit, dum Halnum flumen trajicere parabat. Piis ergo Scotorum precibus annuens Pontifex, hoc anno die secunda Junii diploma edidit, quo Santandream Archiepiscopo, necnon Glascovensi Præfuli, aliisque in mandatis dedit, ut in vitam & Margaritæ miracula, auditis testium depositionibus inquirerent. Ferunt nonnulli, eandem jam Anno millesimo ducentesimo quinquagesimo primo ab Innocentio IV. ritu solemniter

*Raynald. ad
hunc ann.
num. 26.*

*Bailllet. vit.
Sanct. fol.
tom. 2. ad 10.
Jun. p. 119.*

ſæcul. XV. in Sanctarum numerum fuiſſe relatam,
A.C. 1487. ejusque caput Duaci apud Jeſuitas Sco-
 tos religioſe aſſervari traditur.

§. LXVIII.

*Joannis Pici Mirandulani propo-
 ſitiones a Papa proſcriptæ.*

Trith. & Bellar. de Script. eccl. Paul. Jov. in elog. 39. Dupin. Bibl. Script. to. 12. p. 106. P. Alex. hiſt. ſæc. 15. p. 1. p. 104. Argentre Collect. jud. de novis error. t. 1. p. 320. & ſeq.

Anno præcedenti Joannes Picus Mi-
 randulæ, & Concordiæ Comes, inter
 omnes ævi ſui Viros eruditionis gloria
 facile Princeps, Romæ nongentas de
 Theologicis, Mathematicis, Magicis, Ca-
 ballisticis, de naturalibus, diviniſque re-
 bus quæſtiones diſputandas propoſuit,
 quas non modo ex Græcis & Latinis, ſed
 etiam Hebraicis & Chaldaicis Auctori-
 bus decerpſerat. Eo tempore Picus
 nonniſi viginti tres annos numerabat,
 has tamen theſes per totum, qua late
 patet, orbem divulgatas in omni ſcientia-
 rum genere longe verſatiſſimus rara re-
 rum cognitione propugnabat; inde vero
 ſcientiæ ſuæ fama magis magisque in-
 clareſcente æmulorum invidiam in ſe
 provocabat, ac nonnulli ejus propoſiti-
 ones impugnabant, affirmantes, quod non
 paucae earum de fide ſuſpectæ eſſent.
 De his monitus Pontifex illas, prout e-
 rant excerptæ, eique exhibebantur, vi-
 ris doctis examinandas commiſit, qui tre-
 decim